

que, Mabillonius sæculo IV. Benedictino parte I. refert nonnulla Alcuini inedita scripta, ibidemque ostendit, librum de *Divinis Officiis* Alcuino a Baronio aliisque Auctoribus assertum, esse tantum farraginem ex diversis ipsius Alcuini, aliorumque Scriptorum eo posteriorum Operibus, hinc inde collectam. Quod spectat librum, cui titulus est: *Confessio fidei*, a Petro Chiffletio ab aliquot annis publicatum, genuinum Alcuini factum esse, adversus aliquos, qui id in dubium vocarunt, probat ibidem Mabillonius. Denique convenit inter omnes peritos Criticos, librum de *Cæremoniis Baptismi* non esse Alcuini, sed *Amararii* Archiepiscopi Trevirensis, qui obiit anno MCCCLIV. (a)

(a) Præter omnes hic enumeratas operum Alcuini editiones, novam modo parat, expectare nos jubet vir Cl. atque humanissimus P. Forbenius Forster, Ordinis S. Benedicti Monachus, Prior & Bibliothecarius Cœnobii S. Emerami Ratisbonensis, qui & conspectum totius collectionis ad me nuper transmisit; ex quo didici nova multa, & nunquam antehac typis excusa nobiscum communicanda fore. Ego pariter in meo, quod per hos dies evulgaturus sum, additamento ad Baluzii miscellanea ex MS. Cod. dedi Epistolæ ejusdem Alcuini fragmentum acceptum e Codice vetustissimo Lucensi sæculo exeunte VIII. scripto. Juvat etiam hic non reticere novum S. Paulini Aquilejensis Opusculum inscriptum: *Dicitur Paulini Aquilejensis Patriarchæ*, non ante multos dies in meas manus delatum, quod P. Forbenius Forster, de quo supra, e Ratisbona transmisit evulgandum in Conciliis, quæ modo Venetiis edantur. In eo vero Opusculo singulare illud occurrit, quod ipsis Opusculi verbis hic expono: *Si ille, qui baptizabat, non dixit: Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, nec in nomine Jesu Christi, sicut cujusdam horum idiotarum professione comperimus, sed sola aqua solum corpus abluit, hi profecto pro non baptizatis habendi sunt.* Habes hic valorem baptismi in Christi nomine collati, ex sententia Paulini Aquilejensis.

In Italia octavo Ecclesiæ sæculo floruerunt *Paulinus* Aquilejensis Episcopus, & *Paulus* Aquilejensis Diaconus. Prior, seu *Paulinus* gratissimus fuit *Carolo Magno*, qui eum rebus non in Italia solum, verum etiam in Gallia & Germania componendis, præfecit. Fuit etiam *Paulinus* maxima cum *Alcuino* Caroli Magni Præceptore amicitia conjunctus. Scripsit Libellum de *Sancissima Trinitate* adversus *Elipandum* Toletanum, & *Felicem* Urgellitanum Antislites, & libros tres contra eundem *Felicem*, ac præterea, Opusculum de *Salutaribus Documentis*, quod inter Opera S. Augustini extabat ante ultimam eorum Editionem a PP. Benedictinis Congregationis Sancti Mauri adornatam; sed istud Opusculum ex fide Codicum MSS. Paulino Aquilejensi Episcopo restituerunt doctissimi illi Ascetæ. Legesis Elogium historicum Pauli, quod texit *Bollandus* ad diem XI. mensis Januarii. *Paulus* Diaconus Aquilejen-

sis, & postea Monachus Cassinensis scripsit Libellum de *Metensibus Episcopis*, & iussu Caroli Magni Imperatoris composuit *Homiliarium*, seu *Lectiones*, quæ per totius anni Festivitates legentur. Observat tamen Mabillonius Tomo I. Analect. insertas fuisse in illud *Homiliarium* recentiorum Scriptorum Homilias, nempe *Herici* Monachi Antisiodorensis, quem, mortuo *Paulo* Aquilejensi Diacono, floruisse constat regnante *Carolo Calvo*. Additæ sunt etiam huic *Homiliario Haymonis* Episcopi Alberstadiensis, qui post *Pauli* Diaconi Aquilejensis mortem floruit, *Homiliæ*, ex quibus facile colligitur, huic *Pauli* Diaconi Aquilejensis Collectioni variis temporibus additiones factas fuisse. Hinc *Paulo* Aquilejensi Diacono vitam S. Gregorii Magni tribuit Mabillonius Tomo I. Analectorum, quæ Vita diversa tamen est ab illa S. Gregorii Magni Vita, quam *Joannes* Diaconus publicavit, quæque edita est sæculo I. Benedictino. Scripsit etiam *Paulus* Aquilejensis Diaconus sex libros de Longobardorum gestis. Præter hujusmodi lucubrationes a Scriptoribus octavi sæculi in Italia concinnatas, prodiit eodem sæculo in Italia *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*, qui ad Gregorii II. Romani Pontificis tempora pertinet, uti existimat *Eruditus Garnerius* Societatis Jesu, qui primus illum in lucem emisit ex MS. Codice nongentorum circiter annorum. Varia in hoc *Diurno Romanorum Pontificum* extant Capita Historica, Dogmatica, & Critica, quæ doctissimis suis *Notis Garnerius* illustravit.

Germaniam octavo Ecclesiæ sæculo ad fidem Catholicam adduxit S. *Bonifacius* Natione Anglus, Sedis Apostolicæ Legatus, & totius Germaniæ Apostolus dictus. Plures scripsit Epistolas graves & piæ, quas *Nicolaus Serarius* edidit, Notisque explanavit. Composuit etiam S. *Bonifacius* librum de *Unitate fidei Catholice*, quem laudat *Zacharias* Papa apud *Othlonem* lib. 2. cap. 9. quem librum haud alium esse, quam *Synodalia* quædam Statuta, qualia *Acherius* Ordinis Sancti Benedicti Tomo IX. Spicilegii vulgavit, conjicit Mabillonius in Observationibus præviis ad vitam Sancti *Bonifacii* parte II. sæculi III. Benedictini. vitam S. *Livini* Episcopi, & Martyris a S. *Bonifacio* literis mandatam fuisse dicitur, quod tamen omnino incertum esse, ostendit idem Mabillonius sæculo II. Benedictino. (b)

(b) In collectionem Operum S. *Bonifacii* a Serario adornatam non venerunt sermones ejus XV. a P. *Martene* tom. IX. *Veter. Monum.* vulgati, e quibus tamen sermo V. & sermo XV. iidem fere in omnibus sunt nonnullis excerptis, quod ego animadverti in additionibus ad Bibliothecam latinam *Fabricii* medietatis, & infimæ ætatis tom. I. pag. 259.

In Hispania sub finem octavi sæculi *Eiberius* Uxamensis Episcopus, & *Beatus* Presbyter sanctimonia & eruditione insignes floruerunt, & Catholicam fidem duobus libris adversus *Elipandi* Toletani Episcopi Hæresim, strenue propugnarunt. In his etiam præclare disserunt de reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento

mento præsentia, de dispositionibus necessariis ad digne communicandum, de Sacrificio Missæ, de Oratione pro Defunctis, quæ omnia Hæreticorum nostri temporis jugulum petunt, & Catholicæ Ecclesiæ Dogmatum antiquitatem diserte adstruunt. Scripsit etiam *Beatus* Presbyter *Commentarium in Apocalypsim*, ut videre est in ejus Vita ab Auctore Anonymo descripta, quam *Bollandus* inter Acta Sanctorum mensis Februarii Tomo III. & Mabillonius Tomo I. sæculi IV. Benedictini vulgavit. Monachos fuisse *Erberium*, & *Beatum* probat ibidem Mabillonius in Observationibus præviis ad vitam S. *Beati* Presbyteri.

In Galliis denique octavo Ecclesiæ sæculo doctrina & pietate celebres fuerunt *Theodulfus* Aurelianensis Episcopus, *Fredegarius*, & *Ambrosius* *Aubperius*, sive *Aubertus*. De Patria *Theodulfi* non convenit inter eruditos. Alii siquidem cum *Sirmondo* volunt, eum fuisse Natione Italum; alii vero cum Mabillonio illum ex Hispania fuisse oriundum, affirmant. Hoc unum apud omnes certissime constat, *Theodulfum* a *Carolo Magno* in Gallias, propter scientiæ prærogativam, qua pollebat, adscitum magna ibi eruditionis & pietatis fama fuisse commendatum. Inter multa, quæ edidit, Opera, duo potissimum celebrantur, videlicet *Liber de Baptismo*, quem sollicitatus a *Magno* Archiepiscopo Senonensi, & *Joanne* Arelateni Antistite scripsit, & *Capitulare*, quod sex & quadraginta Capitulis constat, & in quo saluberrima tum Presbyteris propria, tum communia quibus subditas sibi Plebes instituire ac informare debent, vitæ Christianæ documenta traduntur. Mortuus est *Theodulfus* anno MCCXXI. ejusque Opera a *Sirmondo* collecta sunt, Notisque illustrata (a). *Fredegarius* Scholasticus *Epitomen Historiæ Francorum*, a *Gregorio* Turonensi Episcopo editæ, lucubravit. Scripsit etiam *Chronicon*, quod a fine Historiæ *Gregorii* Turonensis, usque ad *Pipini* Francorum Regis inaugurationem perduxit. *Fredegarii* *Chronicon* excipit *Appendix* a *Pipini* Regis coronatione, ad annum usque septingentesimum sexagesimum octavum. Extant *Fredegarii* Opera Tomo I. Historic. Francorum ab *Andrea Duchesno* publicata. Demum, *Ambrosius* *Aubperius* Natione Gallus Monachus Ordinis S. Benedicti, ac deinde Abbas Monasterii S. *Vincentii* Martyris, quod prope *Vulturum* fluvium in Samnio situm est, scripsit decem libros in *Apocalypsim*, *Commentarios* in *Scripturam Sacram*, quædam *Opuscula Ascetica*, nonnullas *Homilias*, & *Vitas* quorundam Sanctorum, aliaque Opera, quorum Catalogum exhibet *Chronicon* S. *Vincentii de Vulturino*.

(a) Collectionis operum *Theodulfi* Aurelianensis, a P. *Sirmondo* adornatæ multa olim defuerunt, quæ tamen illata sunt in nova editione operum *Sirmondi* a P. de la Baune vulgata.

Cl. *Muratorius* in suis anecdotis tom. II. pag. 212. olim vulgavit enarrationem, seu breve commentarium in *Symbolum* S. *Athana-*

sii sub *Fortunati* nomine. Hanc ego non in virtus crediderim expositionem fidei catholicæ designari in veteri Catalogo *Abbatum Floriacensium* a *Baluzio* in suis miscellaneis tom. I. vulgato ubi *Theodulfo* Aurelianensi *explicatio brevis Symboli S. Athanasii* adscribitur.

D. Ecceur, quæso, inter Viros illustres, qui octavo Ecclesiæ sæculo in Galliis floruerunt, nullam prorsus mentionem fecisti *Caroli Magni* Francorum Regis, quem tamen Auctorem librorum *Carolinorum*, & Universitatis *Parisiensis*, omnium *Academiarum* facile Principis, fundatorem ac institutorem fuisse, multi constanter affirmant?

M. *Carolus Magnus* Francorum Regem in *Scriptura Sacra*, & *Sanctorum Patrum* doctrina versatum fuisse, omniumque *Vitorum* sui temporis litteratorum Mæcenatem munificentissimum, testatur *Eginhardus* in ejus Vita. At *Carolus Magnum* quatuor librorum, qui *Carolini* dicuntur, Auctorem fuisse, non ita certo liquet. Nonnulli siquidem post *Bellarminum* existimantes, ejusmodi libros *Carolinus* favere *Iconomachis*, asserunt, illos *Carolo Magno* perperam adscriptos esse, sed ab imperito quodam *Hæretico* exaratos, & datos *Carolo Magno*, qui eos misit ad *Hadrianum* Summum Pontificem. Alii vero periti Critici ex MSS. exemplaribus *Vaticano*, & *Tiliano*, quæ *Caroli Magni* nomen præferunt, ex Præfatione etiam horumce librorum, in qua Auctor diserte asserit, se in sinu *Ecclesiæ Regni gubernacula suscepisse*, & ex aliis compluribus conjecturis, quæ legi possunt apud nostrum *Natalem Alexandrum* Dissertatione VI. in *Historiam Ecclesiasticam* octavi sæculi, probant, *Carolus Magnum* esse legitimum parentem horumce quatuor librorum *Carolinorum*, quos *Bellarminus* falso supponit *Iconoclastarum* Hæresi favere, cum potius ipsissimam adstruant doctrinam, quam octavo sæculo *Ecclesiæ Gallicana* circa cultum *Imaginum* propugnabat, & solos reprehendant abusus, qui in cultum *Imaginum* irreperere possunt, sicut loco mox laudato fuisse ostendit *Natalis Alexander* contra *Dilectum Calvinistam*, & *Forbesium* *Lutheranum*. Probabilius itaque est, *Carolus Magnum* Auctorem esse quatuor horumce librorum *Carolinorum*, aut saltem, illos, eo jubente, ab alio ex ejus persona, & nomine editos fuisse.

Quantum attinet ad fundationem, seu institutionem Universitatis *Parisiensis* factam, ut nonnulli dicunt, a *Carolo Magno*, existimo nihil certi super hac re affirmari posse, cum Scriptores hac in re variant linguis, & sententiis. Vir Clarissimus *Baleus*, qui non multis abhinc an. *Historiam* Universitatis *Parisiensis* eleganter scripsit, ejus institutionem adscribit *Carolo Magno*. At *Loiselius* in *Tractatu de Universitate Parisiensi*, ejus institutionem *Carolo Magno* adscriptam, inter fabulas recenset, eamque dicit revera attribuendam esse *Ludovico VII.* Galliarum Regi, qui regnare cepit anno MCCXXVII. & filio ejus *Philippo II.* qui Patri in Regno successit anno MCLXXX. sed

in his, quæ de Carolo Magno non satis compta sunt, & de quibus inter Scriptores necdum convenit, iudicium meum non interponere satius esse duco. Hoc unum certo affirmare possum, Carolum Magnum plures scripsisse Epistolas, & multa cum Episcoporum consensu edidisse *Capitularia* maximam partem Ecclesiastica, seu, quæ complectuntur leges de rebus, & personis Ecclesiasticis ex Canonibus Conciliorum & Decretis Summorum Pontificum excerptas. *Angelus Abbas* anno *MDCCXXVII*. *Capitularia* Caroli Magni, & Ludovici Pii collegit, & in quatuor libros distribuit, quibus postea tres libros addidit *Benedictus Levita* ex Archivii Ecclesiarum, præsertim Moguntinæ, & ex antiquis Chartularum scriniis extractos, quos integros septem *Capitularium* libros perdoctus *Baluzius* summa cura recognovit, & Notis ac Dissertationibus illustratos, in lucem edidit ann. *MDCLXXVII*. Extat etiam unum ejusdem Caroli Magni Codex Epistolaris dictus *Carolinus*, quem post Baronii mortem *Jacobus Gretserus* anno *MDCCXIII*. Ingolstadii publicavit, qui continet Epistolas, quas Romani Pontifices Gregorius III. Zacharias, Stephanus II. Paulus, Stephanus III. Hadrianus & Pseudo-Constantinus ad Carolum Majorem Domus Regiæ, ad Pipinum, & Carolum Magnum, & ad Carolomanum ejus fratrem direxerunt. Hæ omnes Summorum Pontificum Epistolæ, jussu Caroli Magni anno *MDCCXI*. collectæ sunt, & in unum corpus redactæ. Quæ collectio extracta deinde est ex antiquo MS. Bibliothecæ Casareæ, ut testatur *Lambecius* lib. 2. ejusdem Bibliothecæ cap. 5. ubi tamen conqueritur, quod ille, qui Codicem descripsit, & ad Gretserum misit, nimiam nonnullis in locis corrigendis, & mutandis sibi arrogavit licentiam. Extant etiam omnes istæ Epistolæ Codicis Carolini apud *Duchesium* Tom. III. Sed de Scriptores Ecclesiasticis, qui sæculis septimo, & octavo doctrina, & pietate præ cæteris excelluerunt, hæc dicta sufficient. (a)

(a) Præter has omnes editiones Codicis Carolini addenda est etiam nova altera a Cl. Muratorio promulgata *Rer. Italic. tom. III. par. II.* in quam variantes omnes tum Codicis Vaticani, cum etiam *Windobonensis* intulit. Novissime pariter audio prodidisse editionem alteram ejusdem Codicis ad *Vaticana MSS.* diligentius exactam, curante in primis *Emin. Card. Dominico Passioneo* ejusdem Bibliothecæ supremo curatore, & bono publico Ecclesiæ nato.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali Christianorum, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt.

CUM certo sciam, Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, utpote omnino invariabilem, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque, eandem jugiter puram, & illibatam fuisse propagatam, supervacaneum esset impræsentiarum inquirere, quænam sæculis septimo, & octavo

fuerit doctrina Ecclesiæ, nisi ad id investigandum me compelleret petulantia Hæreticorum, qui ab Ecclesiæ Catholicæ gremio cum recesserint, infrunito ore asserere solent, multa nunc in Ecclesia Catholica proponi, & teneri doctrinæ Capita, de quibus in tota retro antiquitate temporum altum est silentium, nec ullum profusum extat vestigium. Ut igitur fidei hostium audaciam facilius reprimere possim, præstat, ut in hocce Colloquio paululum differamus de doctrina, quæ sæculis Ecclesiæ septimo, & octavo apud Christianos constanter vigeat.

M. Quamvis Historia Ecclesiastica diserte ostendat, ut ait *Lanfrancus* in *Commentario de Eucharistia* adversus *Berengarium*, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt, a præcis temporibus habuerunt; attamen non expedit, ut ea, quæ ad fidem adversus Hæreticos certis argumentis, & auctoritatibus tuendam spectant, ab Historiæ Ecclesiasticæ Scriptore data opera pertractentur, cum id oneris potissimum incumbat Theologis Polemicis, quorum inter scribendum præcipuus scopus esse debet, controversias Catholicæ inter, & Heterodoxos versantes, dirimere ac explanare. Ne igitur Officium, quod sibi vindicant Theologi Polemici, usurpare, & in alienam, ut ajunt, messeri falcem mittere videar, qui solum Historiam Ecclesiasticam compendiose describendam suscepi, non instituiam Dissertationes Polemicas, sed dumtaxat simplicem narrationem rerum, quæ a locupletissimis testibus, & probatissimæ fidei id ætatis Scriptores referuntur, ob oculos tuos ponam fidei Catholicæ doctrinam, quam Christiani sæculorum Ecclesiæ septimi, & octavi profitebantur; unde nullo negotio colligere poteris, omnia doctrinæ Catholicæ Capita, de quibus modo Heterodoxi cum Catholicis magno quidem, sed inani studio altercantur, fuisse ab omnibus Christianis, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt, unanimi consensu recepta atque approbata, quibus e diametro opponuntur errores, quos Hæretici hujus temporis, aut obsoletos recoxerunt, aut proprio Marte procuderunt.

In primis, certissime constat, Christianos, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt, rejecisse omnes hæreses, quæ tam circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quam circa Incarnationem Verbi Divini sex prioribus Ecclesiæ sæculis emerferunt, Anathema etiam dixisse Hæresibus Monothelitarum, & Iconoclastarum, quæ sæculis septimo & octavo pullularunt, summaque, ut patet, veneratione excepisse omnes definitiones Conciliorum generalium, in quibus Hæreses proscripæ fuerunt. Hoc religiosum mentis obsequium, hæc profunda erga definitiones Ecclesiæ veneratione, quæ antiquorum Christianorum animis penitus infidebat, procul abest ab Hæreticis hujus temporis, qui prædamnatas jam Hæreses pro suo arbitrio renovant, mordicusque teneant. Nec Pontifices, nec Ecclesiam in Conciliis congregatam, nec Sanctos Patres audire volunt, sed se ipsos dumtaxat, sibi que, quod sane lepidum ac ludicrum est, & aliis promiscue suæ sectæ viris,

nee

necnon mulierculis jus attribuunt interpretandi Scripturam Sacram, & dirimendi omnes, quæ suboriri possunt, fidei controversias. Quod certe Hæreticorum Dogma, quo nullum, mea quidem sententia, infestius & absurdius excogitari potuit, plane destruit Hierarchiam Ecclesiæ, Episcoporum potestatem ad nihilum redigit, ad schismata & innumeros errores latissimam viam aperit, & omnia sus deque miscet in Ecclesia, ut late probant nostri Polemici Theologi in suis contra Hæreticos controversiis. Sed, ut de fidei nostræ Dogmatibus, quæ ab Hæreticis nostri temporis imperuntur, speciatim aliquid dicamus, difficile non erit eorum antiquitatem & consensionem cum doctrina Christianorum, qui sæculis Ecclesiæ septimo & octavo vixerunt, breviter hic & historice demonstrare.

Negant Hæretici realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, Missamque verum esse & proprie dictum Sacrificium. At Christiani, qui sæculis septimo & octavo vixerunt, eandem circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & circa Missæ Sacrificium fidem tenebant, quam nunc fidelibus credendam proponit Ecclesia Catholica (a). Observat quippe doctissimus *Mabillonius* in Præfationibus II. sæculi Benedictini, quod est Ecclesiæ septimum, & III. sæculi Benedictini, quod est Ecclesiæ octavum, Viros pios haud paucos per hæc duo sæcula rem sacram quotidie frequentasse, seu Missam celebrasse, & eos, qui diebus festis Missarum solemnibus intererant, cibi ac potus expertes esse debuisse, ut constat ex Auctore antiquo & gravi in libro de *Vita Sancti Walarici* cap. 15. ubi hæc habet: *Duo germani erant, qui ad eum (Sanctum Walaricum) in festivitate Sancti Martini advenerant, quibus increpando ait: admiror cur ante Missarum solemniam bibere presumpseritis. Qui consistentes commissum suum, veniam postulant, & de reliquo se se emendaturos spondent.* Cum maxima cura & singulari pietate præparatur panis, qui super Mensam Domini in Sacrificio offerri debebat, isque erat integer, nitidus, super cæteros albus, & diversus a pane usitato & communi, sicut statuitur in Concilio Toletano decimo sexto habito ann. *MDCCXIII*. Canone sexto his verbis: *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotes, non panes mundos & studio præparatos super Mensam Domini in Sacrificio offerant; sed de panibus suis visibus præparatis crustulam in rotunditatem offerant. Quod factum nequaquam in sacre auctoritatis historia gestum ostenditur. Unde id unanimi nostræ elegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retinet. Cæterum, an panis, qui sæculis septimo & octavo in Ecclesia tam Orientali, quam Occidentali offerebatur in Missæ Sacrifi-*

Graves. Hist. Tom. III.

cio, esset Azymus, an fermentatus, non convenit inter Doctores Catholicos. *Jacobus* siquidem *Sirmondus* singulari, quod edidit, de *Azymis* Opusculo, probandum suscepit, Romanam Ecclesiam non nisi aliquandiu ab obitu *Photii* Patriarchæ Constantinopolitani Azymis panibus in Missæ Sacrificio uti cœpisse, idque colligit ex silentio ejusdem *Photii*, qui cum multiplices Latinorum ritus, mores ac cæremonias maligne carperet, nullam eis propter Azyma litem moverit. At mihi multo probabilius videtur, Ecclesiam Romanam ante obitum *Photii*, qui nono sæculo Ecclesiam Græcam diro schismate a Latina divulsit, panem Azymum in Missæ Sacrificio adhibuisse. *Alcuinus* quippe, qui octavo Ecclesiæ sæculo sub Carolo Magno florebat, initio nascentis hæresis *Felicis Urgellitani*, & *Elipandi Toletani* Antistiti, hoc est, ante Synodum Francofordiensem celebratam anno *MDCCXIV*. scripsit Epistolam ad *Lugdunenses*, in qua consuetudinem improbat Hispanorum quorundam, qui sal in panem oblationis mittebant, quod, inquit, nec universa Ecclesia observat, nec Romana custodit auctoritas. Tum subinde pergit *Alcuinus*: *Tria sunt, quæ in Sacrificio hujus testimonii offerenda sunt, panis, aqua & vinum. Panis, qui in Corpus Domini consecratur, absque fermento alterius infectionis debet esse mundissimus. Ex quibus verbis perspicuum est, panem dumtaxat Azymum, non fermentatum, tempore *Alcuini*, hoc est, octavo Ecclesiæ sæculo, ad Aram adhibitum fuisse ab Ecclesia Romana. Verum, celebrem istam controversiam de materia Sacrificii Eucharistici, utrum videlicet perpetuus fuerit solius Azymi panis in Ecclesia Latina usus, sicut contendit doctissimus *Mabillonius* in Disquisitione de pane Eucharistico, vel utrum solius Azymi panis in Ecclesia Latina usus a tempore tantum Schismatis *Photii* adhiberi cœperit, ut docet *Sirmondus* in suo de *Azymis* Opusculo, hanc, inquam, celebrem controversiam opportunius expendemus in Colloquio in Historiam noni Ecclesiæ sæculi, quo cœpit Schisma *Photianum*. Satis hic observasse sufficiat, Christianos, qui sæculis septimo & octavo vixerunt, firmiter credidisse, Missam esse verum & proprie dictum Sacrificium incruentum, in quo non alia offertur victima, quam Christus Dominus, & ad illud divinum peragendum Sacrificium Sacerdotes id temporis usos fuisse Altaribus mobilibus, editis, & cavis, de quibus legendus est *Mabillonius* in Præfatione sæculi II. Benedictini, quod est Ecclesiæ septimum, ubi etiam observat, solemne etiam fuisse per hæc duo sæcula, septimum & octavum, laicis sacram communionem manu recipere, & sub utraque specie communicare, idque colligit ex Actis Sanctæ *Odilæ* Abbatissæ, quæ morti proxima cum *Calice*, in quo *Dominicum Corpus & Sanguis* habebatur, sibi adferri præcepisset, propriis manibus eum accipiendo, sancta communionem participata, omnibus cernentibus, animam reddidit. Sed hunc antiquum usum, qui meram spectat disciplinam, & ex quo multa nascebantur incommoda & pericula, justis de causis postea sustulit Ecclesia.*

E 3

(a) Omit-